

lignis et pascuis forestariis nostris annuatim solvere consuevistis. Ad huius autem concessionis et donationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium scribi et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Anno, mense et indictione subscriptis.

Data in urbe felici Panormi per manus Gualterii venerabilis Troiani episcopi, Panormitani ecclesie ministri licet immeriti et regni Sicilie cancellarii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo, mense Madii tertie indictionis, regni vero domini nostri Frederici dei gratia illustrissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue anno secundo, feliciter, amen.

Aus dem Orig. des Kapitelarchivs zu Troia. Sack ohne Zeichen n. 14.

Friedrich II. gewährt auf Bitten des Bischofs Oderisio dessen Kirche das bei der Stadt gelegene Gut Staffilo, welches ihr nach glaubwürdigen Aussagen seine Voreltern geschenkt haben.

1210 November, Messina.

Fredericus divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue.

Si liberalitatis nostre munere locis deo dicatis beneficia grata conferimus et necessitates ecclesiasticas nostro iuvamine relevamus, culminis nostri fundamenta firmantur, et hoc nobis ad mercedem et regni nostri stabilitatem liquido credimus profuturum, quod ecclesiis et locis venerabilibus, regis regum optentu, misericorditer elargimur. Inde est, quod nos volentes in conspectu divine maiestatis aliqua semper offerre, que deo grata resideant et accepta, ob illius intuitum, apud quem meritum non deperit, set augetur, de solita quoque nostre liberalitatis munificentia, ad instantiam precum tui, Oderisii venerabilis Troiani electi, karissimi nostri fidelis, perpetuo concedimus ecclesie sancte Marie Troiani episcopatus tenimentum terrarum prope ipsam civitatem, quod dicitur Staffilum. Quod predictarum terrarum tenimentum quorundam fidelium nostrorum et familiarium testimonio veridica<sup>a</sup> comperimus et nobis constat assertionem a dive memorie progenitoribus nostris predictae Troiane ecclesie misericorditer elargitum<sup>a</sup>, volentes et districte mandantes, ut sepefata Troiana ecclesia predictum Staffelum de cetero pacifice et quiete possideat et nullus

---

a) Sic!